

concordiam fecerint que non sit contra Mediolanenses, facient Mediolanenses esse in ipsa societate et concordia si in ea intrare et adesse voluerint, nec relinquent eos extra ipsam societatem et concordiam si in ea esse et intrare voluerint.

13) Item quod non imponent nec taliabunt seu tollent hominibus de Domaxio et Grabadona fodrum, excepto quod possint inponere eis fodrum quando civitati sue imposuerint, et tunc eo modo inponent quo inposuerint civibus ipsius civitatis, et eo modo ab eis exigent quo a civibus exigerint et non aliter. Et si civibus remiserint in toto vel in parte, eodem modo remittent eis. Et quod permittent eos, nec ullo tempore eos inpedient, omnes causas et lites sicut consueverunt inter se tenere et exercere et diffinire et executioni mandare usque ad quantitatem tantum decem librarum; in aliis autem omnibus causis Cumani plenam iurisdictionem habeant in hominibus Domaxii et Grabadone et eius plebis; appellationes vero omnes fieri debent ad Cumanam consulariam sive ad Cumanos consules. Et quod nullo tempore reddent eis malum meritum, nec offensam vel vindictam seu contracambium eis facient de hiis seu pro hiis que abhinc <sup>(p)</sup> retro inter eos et Cumanos acciderunt, sive pro se, sive pro amicis suis, sed tamen ipsi de Domaxio et Grabadona et eius plebis debent stare ad preceptum comunis de Cumis de his que de cetero acciderint; et si non steterint, exercent Cumanam suam iurisdictionem in eis, excepto de fodro ut supra dictum est.

14) Insuper promiserunt et iuraverunt comune et homines de Cumis et eius virtutis et episcopatus quod dabunt mercatum plenarie de omnibus rebus et negotiationibus omnibus hominibus Mediolani et eius archiepiscopatus et comittatum et iurisdictionis et virtutis in civitate et extra civitatem sine ullo vinculo banni vel aliquo alio inpedimento quod dici vel ullo modo excogitari possit. Et permittent homines Mediolani et eius virtutis emere et vendere palam in omnibus suis feriis et mercatis anualibus sicuti homines de Cumis et eius virtutis fecerint. Et permittent omnes homines undecumque sint libere et secure venire et redire ad civitatem Mediolani cum omni mercato et sine mercato omni tempore, nec eis ullum inpedimentum facient nec fieri permittent pro posse per se neque per homines sue virtutis. Nec fraudulenter facient canevas vel canevas in civitate vel extra civitatem blave <sup>(q)</sup> vel leguminum que fuerint virtutis Mediolani. Et comune Mediolani debet habere suos noncios ad Turrem de Olonio et ad Bilizonam cum nunciis Cumarum qui debent distringere blavam et legumina, et ultra ipsa loca non ducantur sine parabola utriusque civitatis comuniter. Et comune et homines de Cumis tenentur dare fortiam et virtutem omnibus modis predictis nunciis Mediolani et Cumarum ad distringendam ipsam blavam et legumina. Et bannum vel pennam imponent super ipsa blava et leguminibus distringenda et ultra predicta loca non ducenda; secundum voluntatem consulum Mediolani liceat et possit taliare blavam locis suis et cogere eos ut ad Mediolanum ducant sicut consueverunt; et militibus et civibus et ecclesiis et clericis et laicis et locis religiosis liceat et possit similiter suam blavam ducere Mediolanum et legumina.

15) Plebes vero quatuor et loca ipsarum plebium de quibus est discordia, scilicet de Mandello et de valle de Cuvi et de Ogiate, in qua continetur Olzate, et de Fine sic debent dividi et distingui, quantum ad iurisdictionem et usanciam civitatum, videlicet ut medietas sit Mediolani et alia medietas Cumarum secundum comoditatem utriusque partis, habita tamen ratione et compensatione bonitatis hinc inde. Et fecerunt finem Cumani Mediolanensibus de illis duabus plebibus et locis que eis advenerunt in divisione et de valle Mercurioli cum Doneda et curte Lavene et omnibus locis ipsius vallis a Trexa infra versus Seprium, et de omni eo quod habent in castro de Montorfano et in villa que est in Montorfano et omnibus locis qui vel que sunt de archiepiscopatu Mediolani et eius sacra, et omne ius, si quod habent in predictis omnibus locis, prestiterunt et dederunt comuni Mediolani per transactionem, eo salvo quod debent Cumani habere compensa-

CXCIV. — (p) ad hinc B. (q) ble B.

cionem de hoc quod habent in Montorfano, et quod debent habere plebem de Crivasea pro contracambio predictae vallis Mercurioli et Donede et curtis Lavene ut supra legitur et dictum est, dato eisdem Cumani cambio focorum et personarum quas habebant in villa de Montorfano. Mediolanensibus vero advenerunt plebs de Mandello et plebs de valle de Cuvi cum omnibus locis ipsarum plebium. Et Cumani advenerunt plebs de Fino et plebs de Ogiate cum omnibus locis ipsarum plebium et cum Olzate qui est de plebe Ogiate. Et compensatio melioramenti et bonitatis locorum et focorum et personarum debet fieri et dari de locis ipsarum plebium, salvo omni iure domini episcopi Cumani et ecclesiarum et militum et aliarum personarum de civitate Cumarum et eius virtutis et episcopatus in redditibus, districtis, honoribus, iurisdictione, ea tamen lege quod si inventum fuerit aliquam personam secularem vel ecclesiasticam sine molestacione possedisse quoad iurisdictionem pertinet, debent permittere illam personam quiete tenere et possidere, et si aliqua contencio inde fuerit, ratio inde cognoscatur. De Tillii vero curte et eius castellancia seu iurisdictione inter dominum archiepiscopum et Cumanos, si discordia inde fuerit, ratio cognoscatur inde. Et Cumani faciunt finem Mediolanensibus de omnibus offensis et iniuriis et maleficiis et dampnis datis et factis usque modo a superscriptis Mediolanensibus.

16) Item consules comunis de Cumis qui modo sunt iuraverunt omnes ad sancta Dei evangelia quod regent et guidabunt et consulent comune et homines Mediolani et eorum res tam laicorum quam clericorum ad honorem et proficuum et bonum <sup>(r)</sup> statum civitatis Mediolani et de omnibus factis et negociis que spectant vel spectaverint ad honorem et proficuum et bonum statum civitatis Mediolani, et facient et dicent rationem hominibus Mediolani et eius virtutis sicuti suis vicinis de omnibus factis et negociis que ad eos pervenerint. Et iuraverunt quod facient iurare omnes homines credencie de Cumis et omnes alios homines ipsius civitatis et eius virtutis qui stant vel steterint ad preceptum comunis de Cumis a quindecim annis supra et a sexaginta annis infra predicta omnia adtendere et observare in presencia consulum Mediolani vel eorum missi, nisi remanserit parabola consulum ipsarum civitatum. Et consules iusticie de Cumis iurabunt quod facient et dicent rationem hominibus Mediolani et eius virtutis sicuti faciunt vicinis suis in toto suo consulatu, ita ut non fiat appellatio ab eorum sentenciis a quinquaginta libris infra. Et teneantur omnes predicti consules quod facient poni et scribi superscripta sacramenta in brevibus super quibus iurant consules comunis seu potestas et consules iusticie de Cumis. Et quod facient iurare futuros consules iusticie et comunis et potestatem qui et que pro tempore fuerint superscripta sacramenta omni anno antequam exeant de suo consulatu. Et insuper predictam concordiam et pacem adtendere et observare, ita ut unaquaque consularia seu potestas que pro tempore fuerit teneatur facere iurare sequentes consules seu potestatem omnia superscripta. Et teneantur per sacramentum unaquaque consularia seu potestas de Cumis que pro tempore fuerit iurare et facere iurare ducentos homines de melioribus et maioribus credencie de Cumis et aliorum hominum omni trigenio superscripta omnia adtendere et observare; et facere iurare omni quinquenio omnes homines civitatis Cumarum et omnes castalanos et burgenses et gentiles homines sue virtutis a quindecim annis supra et a sexaginta annis infra predicta omnia adtendere et observare bona fide sine fraude, nisi remanserit parabola consulum comunis Mediolani.

Hanc concordiam et pacem primitus iuraverunt, tercio decimo die intrante settembre, dominus Robacomes de Mandello et Guido Botacius consules comunis Mediolani pro se et ex parte ipsius comunis et Baldizonus Stampa consul iusticie Mediolani iuravit pro se; et Gaudencius de Fontajella et Iohanes Ruscha consules comunis de Cumis iuraverunt pro se et ex parte comunis de Cumis; et Guido de Piro consul iusticie de Cumis iuravit pro se. Consules vero utriusque civitatis de comuni iuraverunt quod debent eligere tres homines cuiuslibet civitatis bone oppinionis bona fide congruos ad hoc faciendum, qui debent iurare quod bona fide extimabunt predictas quatuor plebes per loca et focos et personas et melioramentum

13 sett.

dabunt de eis plebibus <sup>(a)</sup> illi parti que deteriore <sup>(b)</sup> partem habuerit, secundum bonitatem locorum et focorum et personarum de ipsis locis et hominibus quos altera pars meliores habuerit seu partem meliorem iusta se, et quod dabunt restauramentum focorum et personarum Cumani de ea parte ville Montorfani secundum quantitatem focorum et personarum quas Cumani habebant in villa Montorfani, et predicta debent fieri hinc ad festum Omnium Sanctorum proximum nisi remanserit parabula consulum comunis utriusque civitatis, ea tamen lege et pactione ut omnes foci qui hodie aderant in suprascriptis quatuor plebibus numerentur; mercatum vero blave aperiatur generalibus sacramentis factis sine fraude Cumane civitatis infra tres dies proximos ex quo requisitum fuerit Mediolanensibus a consulibus Cumarum vel eorum certo misso. Et hoc totum salvo eo ut si aliquid additum vel diminutum fuerit vel ordinatum comuni consilio utriusque civitatis, semper illud ratum et firmum teneatur. Et omnia predicta bona fide et sine fraude debent adtendi et observari omni tempore. Unde plures carte uno tenore rogatae sunt. Actum Mediolani, in palacio, palam in credencia.

Interfuerunt ibi testes Ardericus Gambarus, et Iacobus Carbonus, et Guiscardus Canevarius, et Guilielmus de Puteo, et Adamotus de Verzario et Rabuanus de Pusterla, et Iohanes de la Zelata; et Manescotus de Sancta Maria, et Gualterius Grassus, et Amizo Parpalionus, et Guidotus de Carcano, et Rogerius Parpalionus, et Iermanus de Osenago, et Ferrus de Dexio <sup>(c)</sup>, et Sozo Arnaldi, et Albertus Cavalerius, et Rubeus Cigada, et Ottobonus de Givate, et Oliverius de Piscaria, et Otto de Concorezo, et Ambroxius de Marliano, et Anselmus Tinctor, et Cavalinus Ficiani, et Arnaldus de Sancto Ambroxio, et Gisolfus Tinctor, et Guifredus Murigia, et Riboldus Dalmaxius, et Guilizonus Pinctor, et Petrus Piperate, et Isembardus de Merate, et Guilielmus de Concorezo, et Albertus de Corbeta, et Albertus Bonuspanis, et Guifredus Armenulfus, et Guilielmus de la Turre, et Rogerius de Bollate, et Tacijs de Mandello et alii quamplures.

Ego Guido Cariolus interfui et rogatus hanc cartam ut supra legitur scripsi.

## CXCIV.

1196 ottobre 2

in civitate Mediolani.

Alberto de Marliano console di Milano, con altri consoli suoi colleghi, pronuncia sentenza nella lite che Ambrogio Porcazoppa cittadino milanese moveva contro Arderico e Carbono padre e figlio de Subinago pure cittadini milanesi per avere certa terra che il predetto Carbono teneva nel territorio di Vicomaggiore di Consonno.

Originale in Archivio di Stato in Milano, Pergamene, Milano, Monastero di S. Ambrogio, c. 2, n. 299 (A). Copia del sec. XVIII, prima metà, lvi, *Exemplaria diplomatum et documentorum*, II, 495 (B).

Cit.: GIULINI, *Memorie*, VII, 120, IV, 87; *Historiae Patriae Monumenta*, XVI, 961. BOLDI, *Archivio Storico Lombardo*, 1905, I, 269, dice di non aver rinvenuta questa sen-

(S M) Die mercurii, secundo die mensis octubris, in civitate Mediolani. Sen- tentiam protulit Albertus qui dicitur de Marliano consul Mediolani, et cum eo iudex qui dicitur de Ostiolo et Baldicionus item iudex qui dicitur Stampa Iacobus Gambarus similiter consules sotii eius, de lite que vertebatur inter Ambrosium qui dicitur Porcazoppa de civitate Mediolani, et ex altera parte Ar-

CXCIV. — (a) pedibus B. (b) de tenore B. (c) Decio B.

dericum et Carbonum patrem et filium qui dicuntur de Subinago de suprascripta civitate. Lis enim talis erat. Postulabat ipse Ambrosius quatinus iam dicti Ardericus et Carbonus dimitterent sibi totam illam terram que iacet in territorio de Vicomaio et Consonno quam predictus Carbonus tenet pro quondam Rogerio fratre ipsius Ambrosii, ideo quia est de feudo Uberti et Ariprandi qui habitant Raude et quod feudum ad se pertinere dicebat ex parte suprascripti fratris sui, salvo iure suo de blava quam habuerunt in hoc anno preterito; et ad probandum quod predicta terra suum feudum esset ex parte capitaneorum de Raude qui habitant <sup>(a)</sup> in loco Raude quedam instrumenta que non fuerunt sufficientia et testes sufficientes produxit, inter que instrumenta erat quoddam antiquum instrumentum factum plus est de annis centum, in quo continebatur quod quidam Ambrosius et filii eius refutaerunt feudum quod tenebant in loco Consonno quod erat de blava usque ad modios duodecim et de vino usque ad congios quattuor viginti quattuor pro guederdono, reverteretur illud feudum in predictos vasallos, et aliud instrumentum nuper factum in quo continebatur quod predicti domini de Raude investierant suprascriptum Ambrosium et ius suum ei dederant. E contra predicti Ardericus et Carbonus suprascriptam terram dimittere recusabant negantes penitus ipsam terram feudum esse et adfirmantes eandem terram sibi in solutum per consules Mediolani et exstimatores suos pro debito quod predictus quondam Rogerius ei debebat datam, vivente et consentiente ipso Rogerio, fuisse; quare non fore credendum feudum esse allegabant, nec predictum instrumentum vetus aliquid sibi preiudicare cum non nominet aliquem de agnatione ipsius Ambrosii nec aliquem de parentela suprascriptorum dominorum, neque contineat terram, set blavam tantum asseverabant. His et alijs auditis et testibus et instrumentis diligenter inspectis, prefatus Albertus iam dictos Ardericum et Carbonum a petitione predicti Ambrosii absolvit, iurantibus ipsis Arderico et Carbono prefatas res in toto vel in parte feudum non esse: et ipsi sic iuraverunt. Et sic finita est causa. Anno dominice incarnationis millesimo centesimo nonagesimo sexto, suprascripto die, indictione quintadecima.

Interfuerunt Mediolanus de Villa, Lanfrancus Crivellus, Arialdus Grassellus, Ardigiacus Gambarus, Sanzamae Cazale, Carnevarius de Vicomercato, Ottobellus Cagapistus, Arnaldus de Canturio; de servitoribus Guidottus Mengiainpelle, Caprinus, Adelardus de Castello, Brochinus.

(S M) Ego Baldicionus iudex qui dicor Stampa consul interfui ut supra et subscripsi.

(S M) Ego Guertius iudex secundus de Ostiolo et consul interfui ut supra et subscripsi.

(S M) Ego Bunifatius qui dicor Cultisius notarius sacri palatii subscripsi.

(S M) Ego Ugo qui dicor de Castegianega iudex ac missus domni Frederici imperatoris scripsi.

## CXCVI.

1196 novembre 4

in Mantua, in domo filiorum quondam Mantuani de Helena.

I rettori della lega di Lombardia, Marca e Romagna sentenziano doversi dare il possesso di Bassano ai Vicentini contro i Padovani.

Copia dell'anno 1387 di mano del notaio Anselmo de Banleti fu Giacomo da S. Croce di Verona e sottoscritta dai notai Antonio del fu Pietro de Boccapiccola de Pigna, Virgilio di Bongiovanni de Insulo di Verona, Giovanni fu Arnolfo giudice

CXCV. — (a) habitat A.

## CCIV

1198 agosto 11  
in civitate Mediolani.

5 Rogerio de Terzago console di Milano pronuncia sentenza nella lite mossa dal monastero di Chiaravalle a Cumino detto Cumino cittadino milanese per obbligarlo a fare certe prestazioni su terreni posseduti da Cumino nei luoghi di Vicomaggiore e di Consonno.

Originale in Archivio di Stato in Milano, Pergamene, Monastero di Chiaravalle, Atti privati, sec. XII, n. 203 (A). Copia del sec. XVIII fine, in biblioteca Braidense, A. E. XV. 21, p. 901 (B).

Reg.: RIBOLDI, in *Archivio Storico Lombardo*, 1905, I, 269.

(S M) Die martis, undecimo die mensis augusti, in civitate Mediolani. Sententiam protulit Rogerius qui dicitur de Terzago consul Mediolani de lite que vertebatur inter Iacobum Gambarum de civitate Mediolani, missum et procuratorem monasterii de Claravalle nomine ipsius monasterii, et ex altera parte Cuminum qui dicitur Cuminus de suprascripta civitate. Lis enim talis erat. Postulabat ipse Iacobus nomine predicti monasterii quatinus iam dictus Cuminus daret predicto monasterio infrascripta condicia, scilicet carrum unum lignorum, et miam unam frumenti, et pullos quattuor, et covam unam, et mannam unam, et miam unam feni singulis annis pro quolibet manso terre quam ipse Cuminus habet in locis Vicomaggiore et Consonno, et hoc petebat de tribus annis preteritis de cetero omni anno, allegans predictum monasterium supradicta condicia per predicta terra habere. E contra ipse Cuminus suprascriptum monasterium predicta condicia super terra sua habere ita quod si a quolibet rustico colleretur restari deberent et ipsam terram suam usque ad mansum unum et dimidium confitebatur, ipsa tamen condicia se solvere non teneri quoniam nobilis homo et ipsam terram ad suam manum laborat asseverabat. Ipse vero Iacobus dictum Cuminum, cum condicia super terra sint, ad ea prestanda teneri proponebat non obstante eo quod nobilis homo sit, nobilitatem enim si nomine dicitur conveniretur ei prodesse adeo quod non teneretur dare guadam, nec se obligare, set quantum ad condiciones que super terra sunt prestandas nichil officere asserebat. His et aliis auditis et ipso Iacobo confitente quod de condiciis preteritis habuerat carrum unum lignorum et pullos sex, prefatus Rogerius dictum Cuminum ut usque ad dies triginta predicta condicia trium annorum preteriorum, excepto predicto carro uno lignorum et pullis sex quos ipse se habuisse confitebatur, eidem Iacobo ad partem suprascripti monasterii solvat, et de cetero singulis annis predicta condicia prestat condempnavit. Finita est causa. Anno dominice incarnationis millesimo centesimo nonagesimo octavo, suprascripto die, indictione prima.

Interfuerunt Ambrosius de la Porta, Amizo de Euruno, Guilielmus Malacobus Manganator, Paganus de Castello Seprio, Guilielmus Pitetus, Eudardus de Solbiate, Gualterius de Gallarate; de servitoribus Iohanonus Sturnus, et alii.

Ego Guidotus iudex qui dicor Pellucus consul subscripsi.  
Ego Baldicionus iudex qui dicor Stampa consul subscripsi.  
Ego Bonifatius qui dicor Cultisius notarius sacri palatii subscripsi.  
Ego Ugo qui dicor de Castegianega iudex ac missus domini Frederici imperatoris scripsi.

## CCV.

1198 agosto 15  
in civitate Mediolani

5 Rogerio de Terzago console di Milano pronuncia sentenza nella lite mossa da Morando Bossio, a nome suo e a nome del preposto di S. Giorgio, di Giordano Litta e di Guido de Carate, contro Pietro prete della chiesa di S. Bartolomeo in contrada dei signori di Melegnano perchè non ostacolasse la colta della decima sopra un appezzamento di terreno in territorio di Vizzolo.

Copia sincrona autenticata dalle sottoscrizioni di « Onricus qui dicor Arcarius notarius sacri palatii », di « Redulfus de Pomo notarius domini Henrici imperatoris », di « Miranus qui dicor Curtis notarius » e di « Guido qui dic. Bossius notarius domini Henrici imperatoris » estensore della copia, in Archivio di Stato in Milano, Pergamene, Milano, Capitolo di S. Giorgio al Palazzo, Cas. B. Cart. S, Num. 44 (B).

Cit.: GIULINI, *Memorie*, VII, 139, IV, 100.

15 Die sabati, quinto decimo die mensis augusti, in civitate Mediolani. Sententiam protulit Rogerius qui dicitur de Terzago consul Mediolani de lite que vertebatur inter Morandum Bossium suo nomine et nomine prepositi Sancti Georgii et Iordani Lite et Guidonis de Carate quorum missus et procurator erat, et ex altera parte dominum Petrum presbiterum ecclesie Sancti Bartholomei de contrada illorum de Melegnano. Lis enim talis erat. Postulabat ipse Morandus suo nomine et nomine predictorum prepositi, et Iordani, et Guidonis quatinus predictus presbiter Sancti Bartholomei permittet eos quiete colligere et habere decimam de perticis decem et octo et dimidia terre iacentibus in territorio de loco Vigozolo, allegando decimam ipsam suam esse, etiam per sententiam arbitratorum in quibus compromiserant eis adiudicatam fore, quod ipse presbiter pernitus diffitebatur. Quibus et aliis auditis, prefatus Rogerius iam dicto presbitero sacramentum detulit ut iuraret sententiam inde latam non fuisse, qui presbiter iurare noluit, set sacramentum retulit, et predictus Morandus per se et per presbiterum rabolam predictorum sotiorum seu consortium suorum iuravit, approbante ipso Rogerio, quod predicta decima per sententiam arbitratorum in quibus compromiserant, eis adiudicata fuit et quam causam ipse Morandus egerat suo nomine et nomine suprascriptorum sotiorum suorum. Quo sacramento prestito, predictus Rogerius iam dictum presbiterum Sancti Bartholomei ut iam dictos Morandum, et prepositum, et Iordanum et Guidonem prefatam decimam quiete colligere et habere permittat et de cetero eos non inpediat condempnavit, et suprascriptam decimam eis adiudicavit. Et sic finita est causa. Anno dominice incarnationis milleximo centesimo nonagesimo octavo, suprascripto die, indictione prima.

40 Interfuerunt Iacobus Ganbarus, Albertus de Corbetta, Otto de Marliano, Petrus Marrus; de servitoribus Iohannes Bellacornua, Amizo de Rivolta, Provenzolus, Iohannes Bellinus Pristinarius.  
Ego Guidotus iudex qui dicor Pellucus consul subscripsi.  
Ego Baldicionus iudex qui dicor Stampa consul subscripsi.  
Ego Bonifatius qui dicor Cultisius notarius sacri palatii subscripsi.  
Ego Ugo qui dicor de Castegianega iudex ac missus domini Frederici imperatoris scripsi.